

Ates pro sufficienter expressis & solemniter repetitis, uice & nomine domini nostri regis prefati ac omnium regnorum & terrarum suarum acceptamus, assentimus, approbamus, & solemniter confirmamus: & similiter sicut ipsa synodus protestata est, quod non intendit recedere à capitulis in prædicta ciuitate Narbonensi concordatis, de quibus in decreto præsentis concilij nunc de proximo edito, quod hæc uolumus habere pro expresso & specifico declarato, facta extitit mentio specialis, ita & nos dictis nominibus & quolibet eorum solemniter protestamur. Et super omnibus superioribus de scriptis promotores concilij petierunt instrumenta. Et similiter ambasiatores regis Aragonum per organum Antonij Taxal hoc idem petierunt.

Prædictis peractis, Antonius Taxal fecit collationem ad commendationem regis & reginæ Aragonum, assumens pro thmate, Rex tuus uenit, Matthæi uicesimoprimo. Quæ collatione facta, reuerendissimus pater dominus Franciscus tituli sanctorum Cosmæ & Damiani cardinalis, nomine synodi respondendo Antonio Taxal, fecit breuem collationem, dicens: Exultemus omnes in domino. Post huius collationem cœperunt omnes cantare hymnum, Te deum laudamus, &c. Et oratione dicta, fuit cantata missa de spiritu sancto per reuerendissimum patrem cardinalem B Aquileiensem uulgariter nuncupatum. Acta fuerunt hæc anno, indictione, mense & loco quibus supra, &c.

SESSIO VIGESIMATERTIA.

IOVIS die quinta mensis Nouembris, anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, indictione nona, fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiæ, præsidente eidem sessioni reuerendissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & uice cancellario. Fuitq; cantatum officium missæ de spiritu sancto per dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Quo expleto, legebantur letaniæ, & alia fiebant quæ in sessionibus fieri solent. Eisdem completis, reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis legit & publicauit ordinationem sanctæ synodi sub tenore sequenti.

¶ Commissio deputatorum data super informatione summaria faciendâ ad effectum citationis personalis & per editum contra Petrum de Luna.

C Sacrosancta generalis synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, in autore pacis uno deo nostro IESV CHRISTO, qui sibi sponsam unam sanctam ecclesiam sui preciosi sanguinis precio comparauit, quæ in CHRISTO IESV summo angulari lapide creuit in templum sanctum in domino, iunctisque simul parietibus fecit utraque unum, ut in pace fieret locus eius, ad tollendum pacis obstacula, unendamq; scissuram fidelium, in qua ille Christi aduersarius caput ecclesiæ malignancium, dolens satis & erubescens hominem constantem ex lutea materia, charitatem in terra tenere, quam in celo nequiuerat habere, ipse sponsæ CHRISTI per schisma pestiferum prohdolor ingens, & tam diuturnis, utpote triginta octo annorum, temporibus iam peractis, charitatem uulnerauit, rescidit unitatem. Quæ licet in magna parte spiritu sancti gratia in præsentis sacratissima generali synodo ad hoc præcipue inter cætera congregata, cooperante, coniuncta sit per eiectionem & renunciationem domini Balthazaris olim Ioannis uicesimiterrij, & renunciationem Angeli de Corario, Gregorij duodecimi in sua obedientia nuncupati, qui inter se cum domino Petro de Luna, Benedicto decimotertio in sua obedientia nuncupato, de papatu contendebant, quorum Ioannis & Gregorij dei gratia in eadem sancta synodo obedientiæ sunt unitæ, adhuc tamen hostis ille unitatis & pacis in reliqua parte, uidelicet in sua obedientia dicti domini Petri Benedicti decimotertij nuncupati,

ggg ij scu

Eph. i. d
Ibidem. e

al. pacis